DEO OPT. MAX. VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA
MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS
PRO ALTERA APOLLINARI LAVREA CONSEQVENDA.
IN SCHOLIS MEDICORVM CADOMENSIS ACADEMIÆ.

M. IOANNE LYOVLD DE MONLIEN, DOCTORE MEDICO, PROFESSORE ORDINARIO, ET FACVLTATIS DECANO, MODERATORE. 31.

An Epilepticis inutile sanguinis humani poculum viuens?

CEREBRVM arx sacra Palladis, non modò sensuum sedes est & motuum προαιρετικῶν artifex, verùm etiam sapientiæ domicilium existit, memoriæ, iudicij, & cogitationum, quibus humanum genus Deo simillimum redditur. Multiplici symptomatum genere premitur pars illa corporis nostri nobilissima: horum alia sensum & motum tollunt vt carus, & apoplexia; alia verò abolitâ sensuum omnium operatione, motus animales deprauatos reddunt, vt Epilepsia. Hæc dicitur motus totius corporis vel partium quarumdam conuulsiuus per interualla rediens, cum sensuum omnium tam interiorum, quam exteriorum, principumque facultatum maximâ oblæsione. Interna huius affectus causa, non est sola cauitatum cerebri, aut eius vasorum à quolibet humore facta interceptio dimidiata, sed etiam flatus animat symptoma, siue vapor vel acrimoniâ, vel tota substantia & qualitate inexplicabili, cerebro hostilis & inimicus: προφάσεις sunt calor Solis, Lunæ radij, ira vehemens, maximaque consternatio, diæta φαύλη, suffitus bituminis, sulphuris, gagatis, picis, rerum fœtidarum; omnia denique quæ vel camarinam mouere possunt, vel congestis humoribus Epilepticam diathesim, & qualitatem ineffabilem inducere. Neque etiam vitium istud iure hæreditatis à parentibus in liberos non diffunditur: si enim arthritici arthriticos generant, elephantici elephanticos; cur etiam Epileptici Epilepticos generare non poterunt?

EPILEPSIA duplici distinguitur specie. Vna est idiopathica, altera verò sympathica: in illâ cerebrum est focus, & minera succi affectum committentis; in hac, vel ventriculus causam mali subalit & continet, vel lien, vel vterus, vel mesenterium, vel denique pars quælibet exterior, siue tibia sit, siue crus, siue brachium, siue extrema manus. In idiopathica subitò concidit æger quasi attonitus, præcedente tamen capitis grauitate, somnolentiâ, faciei pallore, facultatis animalis debilitate, vocis tarditate, sensuúmque & motus debilitate connotatâ; in sympathicâ verò varia sunt symptomata pro variâ partium morbosas anathymiases ad caput expirantium natura: breues sunt paroxysmi, & ad exigui prædicationem temporis perdurantes; imminentes ab ægrotantibus præsentiuntur, vel ascendentis cuiusdam auræ, vel quodam frigoris sensu percepto. Minus affligunt, cum nullâ aut saltem paucâ circa oris partes apparente spumâ.

FOETVS infestat hæcce mali species, cuius primos insultus intrà vterum matris quandoque persentiunt, nisi in ijs efflorescens cerebrum ritè, & vt decet, à suis excrementis repurgetur. Pueros etiam sæpè extra vterum vexat ob magnam τοῦ ἐγκεφάλου mollitiem, nimiámque & excedentem humiditatis copiam; hanc tamen effugiunt, si saliuosi fiant, ipsísque circa caput, circa aures, & reliquum corpus vlcera erumpant. Iuuenes etiam & adolescentes corripit, non tamen ita frequenter: omnium minimè senes, præsertim verò decrepitos. Recens & insolita perimit ægrotantes; inuadendi familiaris, minori mortis periculo torquet, gentilitia nullum neque ab ætate, neque à diætâ, neque etiam à pharmacis beneficium expectet: fere etiam ξυναποθνήσκει, καὶ ξυγγηρᾷ, quæ ἀπὸ τοῦ παιδὸς συναύξηται, quæque vigesimum quintum annum excedens ætatis prægressæ subsidio destituta neque primâ venere, neque primis fœminarum mensibus cedere potuit. Parcit magis fœminis Epilepsia, non ita viris. Grauidas tamen plerumque vexat, edito partu cessatura: aliquando tamen gestationis tempore silet, post conceptum ab vtero exolutum breui reuersura. Grauior existit, quæ primario cerebri vitio excitatur, leuior, quæ per consensum exoritur; si præsertim vel à pede, vel à manu ducat originem. Vergente ætate nonnunquam vertitur in apoplexiam, aliquando verò sui nota alicui corporis parti impressa, eamdem morbosam reddit. Feliciter tamen & bonis ægrotantium rebus, neque enim morbus reuertitur, natura humorem morbificum in partem affectam debilémque, tanquam in emunctorium continuò transmittente: Autumno & hyeme generatur Epilepsia; Vere exacerbatur: vt maniâ, ecstasi; conuulsio febre; sic magnus morbus, quandoque furore soluitur.

EPILEPSIÆ curationem suscipienti, duo tempora spectanda veniunt, vnum paroxysmi, & alterum intermissionis. Æger ergo quàm fieri poterit citissimè ab accessione liberetur, ne superueniente cerebri compressione, aut integrâ cauitatum eiusdem ἐμφράξει apoplexia suboriatur. Aër lucidus, & tenuis eligatur, sopita facultas clamore forti suscitetur, diductis dentibus os apertum quouis modo conseruetur, partes corporis vehementi conuulsionum motu conquassatæ, oleis dolorem sedantibus, simúlque resoluentibus primùm inunctæ, leuiter extendantur. Scapularum partiúmque extremarum validæ frictiones, fortésque ligaturæ instituantur, acrioribus diaclysmatis intestinorum immundities eluatur, primæque saburra regionis. Prosunt apophlegmatismi, errhina, & ptarmica, quæ non modò attenuandi discutiendíque potestatem obtineant, sed etiam quæ specificâ facultate qualitati Epilepticæ, malignæque humorum partiúmque dispositioni reluctentur. Neque displicent Emetica, si ex ventriculo prima mali labes exorta fuerit, aut etiam eandem congesta quadam intra suam ciuitatem colluuie fouere videatur. Sæpe etiam paroxysmum soluit largior è brachijs facta venæ sectio; eam tamen maturo consilio, magnâque prudentiâ exequere, alioqui spiritibus incautè profusis natura succumbens hosti manus dabit.

EXTRA paroxysmum abstemij viuant ægrotantes, omnem tristitiæ vitent occasionem, aëre libero, serenóque fruantur, crassum, nebulosum, fœtidumque fugientes. Nocent palustria lacustriáque, flatus australes, Dium, & Lunę radij: absint otia; Venus peste pejor, ira & imprimis terror. Corpora ritè præparata sæpe repurgentur, primum leuioribus, tandem verò in affectu diuturnitate pertinaci valentioribus, & mochlicis: vt enim morbis debilibus, debiliora conueniunt; sic fortibus, fortiora, quibus excussa anfractuosis partium recessibus infixa crassorum humorum illuuies foras protrudetur: non neglectis interim specificis, assiduóque Theriacæ vsu. Inter Chirurgica venæ sectio vitia sanguinis, si quæ sint, tollit; Vere potissimum instituta ex brachijs, si malum frequenter repetat; ex pedibus, si menses & hęmorroïdes supprimantur. Neque cucurbitulas omitte, aut scapulis, aut partibus tetros vapores effundentibus, imponendas; eásque aut leues aut cruentas. Nec etiam displiceat setacei vsus, aut etiam ignis suturæ coronali actu appressus: horrorem enim operis fructus ingens luculenter excusat. Hinc verò facessat horrendus ille, summéque detestandus sanguinis humani recenter ex homine cæso decurrentis, contra morbum caducum potus; neque enim succos Epilepsiæ parentes euacuat, caput corroborat, aut etiam inustam impressamque cerebri substantiæ dispositionem emendat. Cùm itaque superstitiosum illud remedij genus nullis in naturâ nitatur fundamentis, neque in artem vllatenus cadere possit, cum diuino Sene, vt Magorum, & Dæmonis inuentum reijcimus, qui vt semper monstrorum artifex extitit, ita sanguinis humani effusione delectatus superstitiosis & incantatoribus induxit, vt eum contra morbi comitialis insultus, calidum adhúcque spirantem, ex osculo vulnerum, pleno ore, auidáque siti haurirent.

Ergo *Epilepticis inutile sanguinis humani poculum viuens.*

Proponebat Cadomi CLAVDIVS LE VAVASSEVR *Ebroicus, Medicinæ Baccalaureus, die 4. Augusti, ab octauâ ad meridiem. A. R. S. H. M. DC. LXIV.*

CADOMI, Apud IOANNEM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum.